



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.
XII**

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De monacho, circa quem in choro dormitantem, porci videbantur, cap. 35

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

CAPVT XXXIII.

IN Hemmenrode Conuersus quidā valde acediosus fuit, in choro penè semper dormitans, in cuius capite alter quidam Conuersus frequenter cattū sedere vidit, qui vt pedes suos oculis Conuersi superposuit, statim ille oscitare cœpit. Quod cùm intellexisset ex relatione eius, qui hoc videre meruit, ne diutius illudetur a diabolo, sedem stalli sui sic paravit, vt dum dormitaret in partem declinando, sedentem præcipitaret, sicque somnolentiæ dæmon per artem excuslus est, & frater acediosus feruentior in Dei seruitio factus est. Hæc mihi à quodam Conuerso eiusdem cœnobij relata sunt. Quantum dæmones illic dormitantes irrideant, ex subjecto cognosces exēplo.

CAPVT XXXIV.

Quidam ex senioribus nostris, Fredericus nomine, licet alias fuerit vir bonus, de virtute tamen somnolentiæ satis fuerat notatus. Hic nocte quadam, antequam emissus esset conuentus noster, cùm staret ad psalmodiam matutinarum in Hemmenrode, & dormitaret, vedit ante se, in somnis tamen, virum longum & deformem stantem, qui in manu nondum stramineum & lutosum, vnde equi terguntur, tenebat, qui cùm monachum protervè intuitus fuisset & dixisset, quid hic tota nocte stas & dormitas magna fili mulieris? ipso simoso stramine in facie eum cecidit, mox ille territus euigilauit, & vt iustum ferientis evaderet, caput retrahendo, ad parietem dure satis illisit. Vide quanta subsannatio.

CAPVT XXXV.

Nuper audiui, quod silere non debedo; In eodem monasterio monachus quidam est, qui in choro sàpe dormitat, & raro vigilat, multum tacens, & parum psallens. Circa istum sàpe porci vindentur, & porcorum grunnitus audiuntur, puto quia colligant siliquas de ore eius cadentes. APOLLONIUS: Quid sunt siliquæ, vel quid signant? CÆSARIVS: Siliquæ sunt folliculi leguminum, signatque verba psalmodiæ à virtute vacua, quæ somnolenti signe-

N 2 inten-

intentione proferunt, & eadem semiplene prolati
porcis, id est dæmonibus, colligenda projiciunt. Hi
verò qui vigilant, & libenter deuoteque cantant, &
psallunt iarente, medullam comedunt, quia gratiam,

Psal. 147 quæ in verbis latet propheticis, percipiunt: tales in
futuro, cum laudatoribus cælestis Ierusalem, adipe
frumenti Dominus satiabit, id est, visione suæ deita-
tis. APOLLONIVS: Satis ex his quæ dicta sunt colligo,
quod tedium exercitij spiritualis sit à diabolo. CAI-
SARIVS: Ut dicas ita est, quia quidam sunt qui statim
ut ceperint psallere, orare, & legere, mox dormita-
re incipiunt, vigiles in lecto, somnolenti in choro.
Idem dico de audiendo verbum Dei: cum verba se-
culata audiant, bene vigilant: cum verbum Dei ex-
proponitur, mox dormitant.

CAPUT XXXVI.

IN solemnitate quadam, cum Abbas Geuardus,
antecessor huius qui nunc est, verbum exhortatio-
nis in capitulo ad nos faceret, & plures, maximè
de Conuersis, dormitare, nonnullos etiam stertere
conspiceret, exclamauit: Audite fratres, audite, rem
vobis nouam & magnam proponam. Rex quidam
fuit qui Artus vocabatur. Hoc dicto, non procepsit,
sed ait: Videte fratres miseriam magnam; quando lo-
cutes sum de Deo, dormitastis: mox ut verba leuita-
tis inferui, euigilantes erectis auribus omnes auscul-
tare cœpistis. Ego eidem sermoni interfui. Non so-
lum personas spirituales, sed & seculares diabolus per
somnolentiam tentat & impedit.

CAPUT XXXVII.

MILES quidam Bonnensis, Henricus nomine, te-
pore quadam quadragesimali carenam fecit a-
pud nos. Postquam reuersus est in domum suam, die
quadam occurrens predicto Geuardo Abbatii, ait ad
illum: Domine Abbas, vendite mihi lapidem illum,
qui iuxta talem columnam oratori vestri iacet, & e-
go dabo pro illo quicquid pastulaueritis. Cui cum
diceret: Ad quid vobis est necessarius? respondit: E-
go illum ponere volo ad lectum meum, quia talis es
natura